# VOTIVE MASS FOR THE PROPAGATION OF THE FAITH

Errors? help@extraordinaryform.org

| | |
|---|---|
| **INTROIT Psalms 66: 2, 3** | |
| Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri: ut cognoscámus in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum. (Psalm 66: 4) Confiteántur tibi pópuli, Deus: confiteántur tibi pópuli omnes. Glória Patri et Fílio et Spíritui Sancto, sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sǽcula sæculórum. Amen. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri: ut cognoscámus in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum. | May God have mercy upon us, and bless us: may He cause the light of His countenance to shine upon us, and may He have mercy upon us: that we may know Thy way upon earth, Thy salvation in all nations. (Psalm 66: 4) Let the people confess to Thee, O God: let all people give praise to Thee. Glory be to the Father, and to the Son, and to the Holy Spirit, as it was in the beginning, is now, and ever shall be, world without end. Amen. May God have mercy upon us, and bless us: may He cause the light of His countenance to shine upon us, and may He have mercy upon us: that we may know Thy way upon earth, Thy salvation in all nations. |
| **COLLECT** | |
| Deus, qui omnes hómines vis salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre: mitte, quaésumus, operários in messem tuam, et da eis cum omni fidúcia loqui verbum tuum; ut sermo tuus currat et clarificétur, et omnes gentes cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. | O God, Who willest that all men should be saved and should come to the knowledge of the truth: we beseech Thee, send forth laborers into Thy harvest, and grant them grace to speak Thy word with all boldness, so that Thy word may run and be glorified, and all nations may know Thee, the only God and Him Whom Thou hast sent: even Jesus Christ, Thy Son, our Lord, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever. |
| **LESSON Ecclesiasticus 36: 1-10, 17-19** | |
| Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum: et immítte timórem tuum super gentes, quæ non exquisiérunt te, ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, et enárrent magnália tua. Álleva manum tuam super gentes aliénas, ut vídeant poténtiam tuam. Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis, ut cognóscant te, sicut et nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dómine. Ínnova signa, et immúta mirabília. Glorífica manum et brácchium dextrum. Éxcita furórem, et effúnde iram. Tolle adversárium, et afflíge inimícum. Festína tempus, et meménto finis, ut enárrent mirabília tua. Da testimónium his, qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, et súscita prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. Da mercédem sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur: et exáudi oratiónes servórum tuórum, secúndum benedictiónem Aaron de pópulo tuo, et dírige nos in viam justítiæ, et sciant omnes, qui hábitant terram, quia tu es Deus conspéctor sæculórum. | Have mercy upon us, O God of all, and behold us, and show us the light of Thy mercies: and send Thy fear upon the nations that have not sought after Thee: that they may know that there is no God besides Thee, and that they may show forth Thy wonders. Lift up Thy hand over the strange nations, that they may see Thy power. For as Thou hast been sanctified in us in their sight, so Thou shalt be magnified among them in our presence. That they may know Thee, as we also have known Thee, that there is no God besides Thee, O Lord. Renew Thy signs, and work new miracles. Glorify Thy hand, and Thy right arm. Raise up indignation, and pour out wrath. Take away the adversary, and crush the enemy. Hasten the time, and remember the end, that they may declare Thy wonderful works. Give testimony to them that are Thy creatures from the beginning, and raise up the prophecies which the former prophets spoke in Thy name. Reward them that patiently wait for Thee, that Thy prophets may be found faithful: and hear the prayers of Thy servants, according to the blessing of Aaron over Thy people, and direct us into the way of justice, and let all know that dwell upon earth that Thou art God, the beholder of all ages. |
| **GRADUAL Psalms 66: 6-8** | |
| Confiteántur tibi pópuli, Deus: confiteántur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum suum. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: et métuant eum omnes fines terræ. | Let people confess to Thee, O God: let all people give praise to Thee: the earth hath yielded her fruit. May God, our God, bless us, may God bless us: and all the ends of the earth fear Him. |
| **LESSER ALLELUIA (Psalms 99: 1)** | |
| Allelúja, allelúja. Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia: introíte in conspéctu ejus, in exsultatióne. Allelúja. | Alleluia, alleluia. O sing joyfully unto God, all the earth, serve ye the Lord with gladness: come into His presence with exceeding joy. Alleluia. |
| *(After Septuagesima, the Alleluia is omitted, and the following is said.)* | |
| **TRACT Psalms 95: 3-5** | |
| Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, in ómnibus pópulis mirabília ejus. Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: terríbilis est super omnes deos. Quóniam omnes dii géntium dæmónia: Dóminus autem cælos fecit. | Declare the glory of the Lord among the Gentiles: His wonders among all people. For the Lord is great, and exceedingly to be praised: He is to be feared above all gods. For all the gods of the Gentiles are devils: but the Lord made the heavens. |
| *(In Eastertide the Gradual and Lesser Alleluia are omitted and the following is said.)* | |
| **GREATER ALLELUIA Psalms 99: 1-2** | |
| Allelúja, allelúja. Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia: introíte in conspéctu ejus, in exsultatióne. Allelúja. Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos. Allelúja. | Alleluia, alleluia. O sing joyfully unto God, all the earth, serve ye the Lord with gladness: come into His presence with exceeding joy. Alleluia.. Know ye, that the Lord He is God: He made us, and not we ourselves. Alleluia. |
| **GOSPEL St. Matthew 9: 35-38** | |
| In illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et praédicans Evangélium regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis: quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. | At that time, Jesus went about all the cities and towns, teaching in their synagogues, and preaching the gospel of the kingdom, and healing every disease, and every infirmity. And seeing the multitudes, He had compassion on them: because they were distressed, and lying like sheep that have no shepherd. Then He saith to His disciples: the harvest indeed is great, but the laborers are few. Pray ye therefore the Lord of the harvest, that He send forth laborers into His harvest. |
| **OFFERTORY Psalms 95: 7-9** | |
| Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in átrio sancto ejus. | Bring unto the Lord, O ye kindred of the Gentiles, bring unto the Lord glory and honor, bring unto the Lord glory unto His Name: bring sacrifices and come into His courts, adore ye the Lord in His holy court. |
| **SECRET** | |
| Protéctor noster, áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus: et fac; ut ab ortu solis usque ad occásum magnificétur nomen tuum in géntibus, ac in omni loco sacrificétur et offerátur nómini tuo oblátio munda. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. | Behold, O God, our Protector, and look upon the Face of Thine Anointed, who gave Himself a redemption for us all, and grant that from the rising of the sun even to its going down, Thy Name may be great among the Gentiles, and that in every place there may be sacrifice and a pure oblation offered to Thy Name. Through the same Jesus Christ, Thy Son, our Lord, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever. |
| **COMMUNION Psalms 116: 1, 2** | |
| Laudáte Dóminum, omnes gentes: laudáte eum, omnes pópuli: quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, et véritas Dómini manet in ætérnum. | Praise the Lord all ye nations: praise Him all ye people: for His mercy is confirmed upon us; and the truth of the Lord remaineth for ever. |
| **POSTCOMMUNION** | |
| Redemptiónis nostræ múnere vegetáti: quaésumus, Dómine; ut, hoc perpétuæ salútis auxílio, fides semper vera profíciat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. | We who are quickened by this gift of our redemption, beseech Thee, O Lord: that by means of this aid to our eternal salvation, the true faith may ever advance. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever. |